...AESTIONES TERENTIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS


DIE XX. MENSIS MAI ANNO MDCCCLXXIII
HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS RUMMLER
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

O. SCHOLZ, STUD. PHIL.
H. CONRAD, STUD. PHIL.



HALIS SAXONUM.

I.

„In comoedia maxime claudicamus“, dicit Quintilianus in decimo institutionum oratoriarum libro cap. 10, § 99. 100, et paullo post: „Vix levem consequimur umbram adeo, ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quando eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint.“ Neque injuria talia dicere poterat Quintilianus, clarissimus litterarum Romanarum arbiter. Fabulae enim togatae scriptores, quod rebus Romanis tractandis operam navabant, ut ex Romanorum gravitate facillimum intellectu est, nunquam magnam sibi comparaverunt gloriam, quare illa vixdum imperatorum tempora tulit. Fabula autem palliata fere nihil est, nisi Graecorum comoedia nova latine conversa. Antiquissimis quidem temporibus ludis scenicis mere Romanis locus dabatur, quibus rusticorum hominum nugae agebantur, cum tamen Romani servis Graecis filios suos instituendos committerent, illique ut artem grammaticam pueros docerent, Homeri carmina fabulasque graecas latine redderent, jam non fabulae Atellanae placebant sed agebantur ludis publicis comoediae palliatae.[1]) Fieri igitur non potuit, ut cum hae comoediae Romanis placerent, Romanum paullatim acciperent colorem, aliter enim, si res Romanae essent actae, eorum maxime esset laesa gravitas ac sanctitas. Quapropter poetae Latini, qui conscribendis vel potius vertendis comoediis operam dabant, nonnulla, quae Romanis vel non placuissent vel non fuissent intellecta, mutare coacti

[1]) Mommsen: röm. Gesch. I. 892 sqq. ed. V.

sunt, ut ipsorum fabulae in universum quidem qualis fuerit comoedia Graeca doceant, nec tamen omni ex parte illius premant vestigia. Fabula autem palliata, cum re vera esset Graeca, fieri non potuit, quin, ut recte dicit Quintilianus, Romani in comoedia claudicarent. Nihilominus inducentes in animum qualis palliatae fabulae poetarum fuerit status ac conditio, horum opera nobis sunt admiranda. Praeterea tantum abest, ut omnes Romani tam male quam Quintilianus de ipsorum fabula palliata judicaverint, ut comicos poetas summis extulerint laudibus. Quorum poetarum in numero Plautum laudaverunt ob vigorem, ob jocorum protervitatem personarumque promptarum atque alacrium lineamenta, Terentio autem stili atque orationis elegantiam laudi tribuerunt. Persuasum igitur habuerunt, Plautum summo gaudentem ingenio poetico lineamenta tantum comoediarum a Graecis accepisse, Terentium autem ad verba fere expressisse fontes suos. Quae tamen sententia nullo modo accipienda est, praesertim cum hunc poetam saepissime complures Graecorum fabulas in unam contraxisse constet. Haec consarcinatio a Romanis cum nominaretur contaminatio, non ineptum videtur nonnulla de notione contaminandi disserere. At vero cum disputatio de contaminandi notione jam tritissima sit, longum est, plurima ea de re facere verba. Liceat igitur ea, quae Grauertus in analectis historicis et philologicis (Monasterii 1833) inde a pagina 133 disputavit, brevi repetere. Derivatum est contaminandi verbum a nomine substantivo contamen, ut examinare ab examen, cacuminare a cacumen ct. Quod verbum substantivum contamen derivandum est a verbo contangere, ut examen ab exagere, nec tamen, ut videri posset, a verbo contare, quod significat conto aquae altitudinem exquirere. Verbi contangere vis ac potestas eadem est, atque verbi simplicis tangere, eandemque ut ex Gellio[1]) liquet, verba omnia a tangere vel contangere

---

[1]) Gellius noct. alt. XII. 9: Periculum etiam et venenum et contagium non, uti nunc dicuntur, pro malis tantum dicta esse multum exemplorum hujusmodi reperias.

derivata servaverunt notionem. Paullatim vero verbum illud in malam abiit sententiam, quam eorum, qui adnotationes ad Terentii fabulas adjecerunt, nonnulli sunt arbitrati, inesse verbo contaminandi, quo utitur poeta. Mirum igitur non est recentioris quoque aevi Terentii fabularum editores atque interpretes talem vim inesse verbo contaminandi contendisse. Et ego credo contaminandi notionem maximam partem in malam abiisse sententiam. At vero his de caussis minime licet contendere verbo contaminandi Terentii temporibus illam fuisse significationem, vel ut rectius dicam, non cogimur credere illud verbum, quomodo Terentius ipse in prologis id accipi vult, malam habuisse vim. Ex mea quidem sententia contaminare tunc temporis notio erat grammatica, quae tantum aberat, ut malam in se haberet, ut in bonam abiret sententiam. Quapropter ex poetae ipsius animo scripsisse videtur grammaticus ille, cujus in Donati ad Terentium scholiis servata est adnotatio, qui dicit: „contaminari non decere: id est ex multis unam non decere facere (Don. ad Andr. prol. 16). Ad eandem rem quadrant sine dubio, ut Grauertus recte animadvertit, Euanthii in commentario de tragoedia et comoedia verba haec: „Adde......, tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum et uno corpore videatur esse compositum."

Significabat igitur, ni fallimur, contaminare nihil nisi non unam tantum fabulam Graecam latine reddere, sed ex altera quoque comoedia Graeca nonnulla mutuari. Quod cum poetae Latini non facerent, nisi ut comoedias spectatoribus jucundiores redderent, cumque Romani sane non ignorarent, ipsorum poetas scenicos fabularum argumenta atque expesitiones non invenire, sed a Graecis mutuari, mirum videtur Terentio, quod contaminavit fabulas, ab invido quodam poeta, Luscio Lanuvino, datum fuisse vitio. Quae Ladewigius[1])

---

[1]) Ladenigii verba in „Encyclopaedia philologica" a Pauli edita s. v. Terentius haec sunt:

Wenn sein Gegner eiferte: contaminari non decere fabulas, so

Koenighoffium secutus hac de re disseruit, probanda non videntur esse. Nam si comprobaretur credendum esset Luscium paullo post non desiisse Terentio, quod contaminaverat fabulas obtrectare. Etenim in Andriae tantum atque Heautontimorumeni fabularum prologis ab his se defendit Terentius opprobriis. Cum Ennius Plautusque, ut omnibus jam illo tempore notum erat, comoedias Graecas contaminassent, sane nemo, in quo erat sapientia atque intelligentia, offendebatur, quod Terentius quoque viros illos clarissimos secutus contaminabat fabulas. Luscius autem Lanuvinus maxime iratus quod suis ipsius fabulis anteponerentur Terentii, insania postea esse videtur affectus, id quod apparet ex iis, quae, ut ex ceteris Terentii prologis videmus, in hunc dicebat, exempli gratia Terentium malo uti genere dicendi, alia. Si contumeliosis prosecutus esset verbis poetam illum, quod contaminando fabulas Graecas depravasset, ut fecisse eum fingit Ladewigius, non minus quam in hoc poeta in Plauto offensus esset, in quo tamen non offensus est. Ceterum quid civium Romanorum interfuit, qua ratione fabulas conscripisset poeta, dummodo ipsis placerent? Quam ob rem Luscii comoedias spectare nolebant ex quo tempore Terentius fabulas docere inceperat, quia ille, ut Terentius dicit Eun. prol. 8, ex Graecis bonis latinas fecit non bonas. Non igitur ex mea quidem sententia „contaminari non decere fabulas“ normam atque regulam, quae omnibus placuerit, exhibet, sed verba sunt Luscii poetae.

Jam vero adumbrata atque explanata contaminationis

---

griff er damit das Verfahren des Terentius an sich nicht an, sondern nur die Art und Weise, wie T. bei dieser Umschmelzung zweier griechischer Dramen zu Werke ging, indem er dadurch die griechischen Dramen verhunze und ungeniessbar mache, aber T. that bei seiner Vertheidigung als ob er den eigentlichen Vorwurf des Luscius, dessen Widerlegung eine längere Auseinandersetzung erfordert hätte, als der Prolog sie gestattete, nicht verstehe und bezog den Vorwurf auf das Verfahren selbst, wobei es ihm dann leicht wurde, denselben durch Berufung auf seine grossen Vorgänger, Plautus und Ennius, die denselben Weg eingeschlagen hatten, zurückzuweisen.

notione, fieri non potest, quin quaeramus, quaenam fuerint caussae, quibus commotus Terentius complures comoedias Graecas in unam consarcinaret. Quas scripsit fabulas, palliatae sunt, quia non tam Latinum exhibent colorem quam Graecum; etenim et personae, quae agunt, et res, quae aguntur, nec minus personarum mores non sunt Latini, sed Graeci, Romanis autem quoniam illis temporibus cum Graecis habebant commercium, in universum nota non fuisse non potest illorum morum vitaeque conditio. Qua de caussa etiamsi externa erant, quae in fabulis palliatis agebantur, tamen ab unoquoque Romanorum omnino intellegebantur. Singulis igitur locis Graecorum vestigia relinquere coactus est Terentius, in iis scilicet rebus, quas non omnibus innotuisse judicavit. Sic legimus Andr. II. 6, 12.

Sim. „Laudo. Dav. Dum licitumst ei dumque aetas tulit
Amavit: tum id clam: cavit ne umquam infamiae
Ea res sibi esset, ut virum fortem decet.
Nunc uxore opus est: animum ad uxorem appulit.“

Nonne hi versus ad strenuos Romanorum mores conformati esse videntur? Vel si hoc negas, quid, quaero, in omnibus fere comoediis Graecorum agitur, nisi filiorum amores? Estne versibus allatis opus, ut haec mea sententia sustineatur atque probetur?

Agedum hic est locus ex Hecyra sumptus. Pater filio uxorem se reducturum neganti dicit (Hec. IV. 4. 64):

„Quam longum spatium amandi amicam dedi!
Sumptus, quos fecisti in eam quam animo aequo tuli!“

Nec minus ad comprobandam meam sententiam valent versus illi Phormionis fabulae Terentianae, quibus Nausistrata Chremi ob filii mores dedignato respondet (V. 9. 51):

„Adeon indignum hoc tibi videtur filius
Homo adulescens si habet unam amicam, tu uxores duas?“

Adnotavit Donatus ad Andriae prol. v. 10: „Prima scena Perinthia paene iisdem verbis quibus An-

dria, scripta est" . . . et ad versum 14: . . . „primam scenam de Perinthia esse translatam, ubi senex ita cum uxore loquitur, ut apud Terentium cum liberto, at in Andria Menandri solus senex est". Maluit igitur Terentius suae fabulae exordium ad Perinthiae quam Andriae Menandreae exemplum componere, sed ut ex Donati verbis liquet, apud Menandrum collocutus est Simo cum uxore, non ut in fabula Terentiana cum liberto. Cujus quidem rei caussas afferre vix quisquam possit, et, quid sibi volunt hujus scenae versus 1—20, qui ad rem non attinent? Ego quidem persuasum habeo, poetam ut spectatores Romanos edoceret, qua re commotus senex liberto res suas domesticas crederet, viginti illos versus priores addidisse.[1]) Fabularum argumenta quamquam in Graecia, vel, ut accuratius dicam, Athenis agebantur, tamen locorum rationes maximam partem ita sunt constitutae, ut spectatores illius rei memores esse oporteret. Quotiescunque autem descendit poeta Romanus ad locum quemdam describendum, commutavit, ut in scena major inesset vis, regiones locaque Atheniensia cum Romanis, ut sine dubio fecit Adelph. IV. 2. Quibus rationibus rebus Romanis habitis quamvis valde inter se differant Plautus Terentiusque, tamen afferre mihi liceat hanc ad rem locum Plautinum, quo verba mea maxime probantur. Est autem clarissimus quia parabasis specimen aliquod praebet, partis illius comoediae veteris Atticae, quam novae comoediae auctores neglexerunt. Reperitur hic locus Curculionis Plautinae IV. 1. inde a versu quinto. Plautus hoc loco choragum verba facit proloquentem ad populum, quae a fabulae argumento remota in universum ad corruptos hominum mores spectant. Conformata ita sunt omnia, ut nisi poetam res locaque Romana attingere credas, intellegi non possint. Hisce igitur de locis videre licet Terentium etiam atque etiam, ut fabulas Romanorum intelligentiae adaptaret, a Graeco scriptore discessise. Verum cum illis locis necessitate coactus Graecam mutaret fabulam, alius exstat locus qui Terentium sua

[1]) Grauert p. 187.

sponte res ingessise Romanas docet. In Eunucho enim fabula (IV. 7. 11) belli cum Pyrrho quondam felicissime gesti mentionem facit hisce verbis:

„Thr. Tu hosce instrue: egero post principia:
inde omnibus signum dabo
Gn. Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi
cavit loco.
Thr. Idem hoc jam Pyrrus factitavit.“

At vero dixerit quispiam Pyrrhum perinde a Menandro atque a Terentio commemoratum esse posse, sed inspicias, quaeso, ne mihi longius hac de re disputandum sit, quae protulerit hunc ad locum G. A. Beckerus[1]).

Transeamus ad alias easque graviores caussas, quibus poeta, ut contaminaret fabulas, commotus est. Adnotavit Donatus ad Hecyr. V. 4. 10: „Brevitati consulit Terentius. Nam in Graeca haec aguntur, non narrantur.“

Qua tamen in re singulis tantum locis Terentius exempla Graecum variare cogebatur, remediis autem multo fortioribus erat agendum, quoties in fonte Graeco invenerat mores personae alicujus severius atque magis strenue expressos, quam quibus ipse mitissimi cultissimique ingenii homo oblectari posset. Adnotavit enim Donatus ad Adelph. V. 4. 2: „Et adeo favet Terentius clementioribus ac mitissimis patribus, ut hunc quoque adducat ad sententiam Micionis, . . .“; eodemque spectant scholiastae ad Adelph, I. 2. 1. et II, 4. 11. adnotationes. His ex verbis nonne licet concludere Terentium magna arte per totam fabulam, ubicunqne facultas data est, auctore Graeco neglecto ex suo ipsius ingenio quales sibi aptiores viderentur, expressisse personarum mores? Verum quem ad modum hac in re sibi ipsi constiterit, neque unquam a se discesserit, optime elucet ex Donati ad Adelph. V. 8. 15 verbis: „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur. Ergo Terentius εὑρητικῶς. Quae adnotatio ex mea quidem sen-

[1]) G. A. Becker de comicis Romanorum fabulis maxime Plautinis quaestionis. Lips. 1837. pag. 81.

tentia eum habet sensum, quem inesse voluit Grauertus[1]): „Bei Menander sträubt sich der Alte nicht gegen die Heirath."

Nova comoedia, quae, ut fortunas domesticas describeret atque exprimeret, etiamsi laetum appetebat exitum, tamen tragici aliquid quo minus hic illic irreperet, impedire non poterat. Mixta haec comoedia Atheniensibus non erat ingrata, quoniam Euripidis tragoediis faventes argumentis permixtis assueverant, cum tamen Romanis non probatum fuisset, si res comicas tragicasque permiscuisset, commotus est sine dubio Terentius, ut, si quando in auctore Graeco tale quiddam repererat, id mutaret, ut sincera exsisteret comoedia, omniaque, quae tragicum olerent poetam abiceret. Legimus igitur in Donati commentario ad Andr. II. 1. 1: „Has (Byrrhiae et Charini) personas Terentius addidit fabulae, nam non sunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον fieret, Philumenam spretam relinquere aut sine sponso, Pamphilo aliam ducente."

Apud Terentium Hegio (Adelph. III. 253) Sostratae, cujus filiam Aeschinus vitiàverat, cognatus inducitur. Donatus autem hunc ad locum adnotavit, apud Menandrum Hegionem Sostratae fratrem esse; quibus Hegionis Sostrataeque necessitudinibus a Terentio neglectis aliisque earum loco inductis, vixdum credere licet, poetam obiter tantum egisse. Romanis enim persuasum non fuisset, viduam aliquam egestate premi, quamdiu fratrem opibus instructum haberet. Quare, ut Sostratae filiaeque ejus egestates gravissimae haberentur, finxit poeta Romanus eas non habere cognatum, qui legibus, ut ipsas adjuvaret, cogi posset, sed propinqum tantum, qui defuncti mariti amicus fuisset.

His autem de caussis scriptori Romano sola verba erant mutanda, ut de contaminatione facta fere nequeamus loqui, id quod tum demum fieri potest, cum poetam, ut ex duabus Graecorum fabulis unam conflaret easque ut ita dicam con-

---

[1]) Grauert p. 146. Lessing ars dram. Hamaburg. pars 100.

sarcinaret, per totam fabulam mutandi atque corrigendi operam impendisse vidimus.

Inquiramus igitur, quid fuerit, cur Terentius Andr. II. 1. a fonte suo discederet alteraque ex fabula nonnulla mutuaretur. Dicit Terentius ipse in prologo hujus fabulae:

„Synapothnescontes Diphili comoediast:
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adulescens est, qui lenoni eripit
Meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
Reliquit integrum, eum hic locum sumpsit sibi
In Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.“

Cetera comoedia Menandri Ἀδελφῶν vestigia premente, raptum hunc psaltriae ex Diphili „Commorientibus“ assumpsit Terentius, quia ut recte contra Lessingii [1]) sententiam disputavit Grauertus [2]) omnia, quae ad hanc rem quadrant, apud Menandrum non agebantur, sed narrabantur. Optime enim intellexit scriptor Romanus se raptum psaltriae jurgiumque adolescenti cum lenone exortum in scena agenda curantem civibus suis comoediam maxime gratam acceptamque esse redditurum. Eadem de caussa Antiphonis personam in Eunucho fabula adjecit Terentius, cui narret Chaerea, quid factum sit, „ne unus diu loquatur ut apud Menandrum“ sicut adnotavit Donatus ad Eun. III. 4. 1. Nec minus eidem comoediae Thrasonis parasitique personis ex „Colace“ assumptis attulit suavitatis, quam ob caussam Menandri Eunucho fabulae has ex Colace receptas addidit scenas: II. 2. III. 1. IV. 6. 7. quintique actus scenam ultimam atque paenultimam. Adjunctis personis illis comoediae argumentum valde augetur, et credendum est Terentium vehementissime risum movisse Romanorum militem rebus bello gestis jactantem se et ostentantem, magnas copias molientem, nihil tamen efficientem et postremo per Gnathonem, hominem istum parasiticum, ut amicitiam cum Thaide meretrice iterum sibi contraheret efficientem spectantium.

---

[1]) Lessing l. l. pars 87.

[2]) Grauert p. 130.

Mirum igitur non est, hanc fabulam ita stetisse apud Romanos, ut bis sit empta ab aedilibus, cujus rei testis exsistit Donatus in fabulae hujus argumento.

II.

Quibus contaminationis caussis pertractatis atque expositis jam in eo sumus, ut inquiramus, quibus rebus vel indiciis nixi fabulam aliquam contaminatam esse contendere nobis liceat. Quorum indiciorum cum pars ejus modi sint, ut sola aliis argumentis non accedentibus fabulam Latinam ex compluribus Graecis consarcinatam atque conflatam esse doceant, pars aliis testimoniis destituta nihil demonstrare videantur, de illis primo loco disputandum nobis est, transeundumque deinde ad alterum genus, quod minorem in se habet auctoritatem.

Vetus comoedia Graecorum, utpote quae splendidissimo ornatu apparatuque nec minus argumentorum ratione Aeschyli tragoediam imitetur, valde differt a nova, quae Euripidis potissimum tragoediam secuta mores quidem atque affectus minus strenuos, conclusam tamen et perfectam actionem exhibet. Et in argumentis eligendis Euripidis est insecuta vestigia, qui ab heroum fatis depingendis descenderat ad civium vitam domesticam. His igitur de caussis et quod novae comoediae scriptores Euripidis tragoedias in obscoenos deflectebant risus, plurimis locis poetae illius versus in Menandri aliorumque comoediis adhibitos videmus. Si autem ex Euripidis versibus quoties cum Terentii Plautive versibus consentire videntur, demonstraremus, ut nostri aevi doctissimos viros nonnullos fecisse omnibus notum est, quatenus poetae comici Romanae Graecos sint imitati, ineptius sane vel inconsultius nos egisse diceres.

At vero negandum non est novam comoediam ut in argumentis et moribus depingendis et in stili atque orationis genere, sic in fabulae dispositione Euripidis pressisse vestigia.

Hujus autem tragoediae cum nitantur argumentis maxime implicatis, aliquam argumenti partem ante fabulae exordium

actam esse poeta in primis scenis spectantes facit certiores atque, qualis argumenti status sit, exponit, quare primi actus scenae primae prologi officium suscipiunt.

Aristophanes veteris comoediae auctor longe clarissimus prologis usus non est, in media autem comoedia parabasin quam dicunt, posuit, in qua per choragum civibus, quae sua esset de rebus publicis sententia, tradidit. Qui tamen post Aristophanem fabulas docuerunt, et Aristophanes ipse in novissimis comoediis parabasin neglexerunt, sed cum numquam poeta comici, ut spectantes cives adhortarentur vel vituperarent operam non navarent, fieri non potuit quin quae ipsorum esset sententia, in alia comoediae parte quae parabasis officium susceperat, in prologo proferrent. Non quidem exstant prologorum novae comoediae exempla sed ex prologis quales fabulis addidit Plautus exque verbis Luciani in „Pseudologista“ qui inscriptus est dialogus[1]) intellegere licet Graecorum prologis non Terentianorum instar versatos esse in enarrandis argumentis vel in defensione poetae ab injuriis a maledicis adversariis illatis, sed in civium adhortatione vel vituperatione. Quam meam sententiam comprobare videntur Euanthii in libro de tragoedia et comoedia verba: „Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent,“ nam non in universum hoc loco Romanorum poetas comicos respicere videtur Euanthius sed Terentium solum cujus de arte plurima facit verba. Arbitror igitur nos non errare opinatos, comicorum Graecorum pro-

---

[1]) Luciani Pseudologista c. 4: *Μᾶλλον δὲ παρακλητέος ἡμῖν τῶν Μενάνδρου προλόγων εἷς, ὁ Ἔλεγχος, φίλος ἀληθείᾳ καὶ παῤῥησίᾳ θεός, οὐχ ὁ ἀσημότατος τῶν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαινόντων, μόνοις ὑμῖν ἐχθρὸς τοῖς δεδίοσι τὴν γλῶτταν αὐτοῦ, πάντα καὶ εἰδότος, καὶ σαφῶς διεξιόντος ὁπόσα ὑμῖν σύνοιδε χαριέν γοῦν τοῦτο γένοιτ᾽ ἂν, εἰ ἐθελήσειεν ἡμῖν προεισελθὼν οὗτος διηγήσασθαι τοῖς θεαταῖς σύμπαντα τοῦ δράματος τὸν λόγον. Ἄγε τοίνυν, ὦ προλόγων καὶ δαιμόνων ἄριστε Ἔλεγχε, ὅρα ὅπως σαφῶς προδιδάξῃς τοὺς ἀκούοντας, ὡς οὐ μάτην, οὐδὲ φιλαπεχθεμόνος, οὐδ᾽ ἀνίπτοις ποσὶ, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐπὶ τόνδε τὸν λόγον ἀπηντήκαμεν, ἀλλὰ καὶ ἴδιόν τι ἀμυνόμενοι καὶ τὰ κοινὰ μισοῦντες τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τῇ βδελυρίᾳ.*

logos non esse versatos in enarrandis argumentis, personasque prostaticas, quibus usus est Terentius, jam in fontibus Graecis exstitisse, contaminationem autem factam esse his ex personis comoediae additiis concludere non licere.

Nihilominus prologi Terentiani nobis in poetae Romani fontes inquirentibus, cum a poeta ipso conscripti sint, maximo sunt commodo. Quamvis enim maximam partem in poetae ab infestissimis adversariis defensione versentur, tamen optime nos edocent, qua ratione usus sit Terentius in conscribendis fabulis; nam certiores nos faciunt de fonte Graeco, quo duce suam composuit comoediam, vel — unum excipio prologum Phormionis fabulae, qua de comoedia infra accuratius agamus — si ex compluribus exemplaribus Graecis unam conflavit Latinam fabulam, ex prologo discimus quaenam sit altera comoedia Graeca quaeque ex illa mutuatus sit. Longum est hac de re verba facere, satis igitur habeo locos, qui ad disputationem nostram quadrant attulisse. Andr. prol. 9 bis 14. Eun. prol. 30—33. Phormio prol. 24—26. Adelph. prol. 6—10.

In solis Hecyrae et Heautontimorumeni fabularum prologis auctoris Graeci nomen non adjecit Terentius, in hujus enim comoediae prologo spectatores fontem Graecum non ignorare persuasum habuit (cf. prol. 8—9) et quod attinet ad Hecyrae prologum, is qui aetatem tulit, non est prologus fabulae primo doctae sed instauratae.[1])

Verum enim vero poetae in prologis verba quamvis fabulam esse contaminatam declarent, tamen difficillimum esset intellectu quomodo contaminatio facta esset, nisi huic rei magnam afferrent lucem Donati scholiastae adnotationes. Ihnius quidem[2]) eumque secutus Ritschelius[3]) valde dubitant, num Donatus exemplaria Graeca volverit, persuasum igitur habent, Donatum, vel qui commentarium illum scripsit, non inspexisse libros Graecos, sed descripsisse fragmenta Graeca,

---

[1]) Vide ea, quae Ritschelius parergon I. pag. 234 adnotavit.
[2]) W. Jhne quaestiones Terentianae Bonnae 1843, p. 13.
[3]) Ritschl l. l. p. 326.

quotquot ascripsit, ex veteris cujusdam scholiastae commentario, qui idem singulas tantum comoedias Graecas, quas potissimum secutum se esse prae se fert Terentius non alteras, ex quibus nonnulla mutuatus est, legisset indeque adnotasset ea, quae ad intelligendam fabulam apta viderentur. Sane miramur Donatum, virum eruditissimum litterisque maxime deditum, non legisse fabulas Graecas et non multum abest ut Ihnium in errorem incidisse judicemus, praesertim cum apud Sidonium Apollinarem, quinti post Christum natum saeculi scriptorem Romanum, haec legamus: „(epist. IV. 12) nuper ego filiusque communes Terentianae Hecyrae sales ruminabamus. Studenti assidebam naturae meminens et professionis oblitus. Quoque absolutius rhythmos comicos incitata docilitate sequeretur ipse etiam fabulam similis argumenti, id est Epitrepontes Menandri in manibus habebam." Sidonius igitur animi caussa Menandrum legit, si verbis ejus fides habenda est, quid autem censeamus de viro litteris dedito, qui illud omiserit? At primum quidem Sidonium, quem ipse totum perlegi, mentitum esse opinor, cum jam dudum omnibus in litteris versatis innotuerit, quam jactentur illius aevi scriptores libris obscurissimis perlectis atque laudatis. Deinde qua ratione usi grammatici Latini commentarios conscripserint, itidem notum est: arte quadam critica paucis tantum locis adhibita quae ab aliis congesta erant collegerunt, hisque ex miscellaneis suos composuerunt libros. Inde factum est, ut in commentario, qui sub Donati nomine circumfertur, plurimis locis uno tenore proferantur res contrarias; exempli caussa afferam ea quae de significatione notionis contaminandi dicunt (cf. Don. ad Andr. prol. 16).

Nihilominus maximum nobis praebent commodum quia commentarios exhibent veterum grammaticorum, qui Graecorum libros manibus triverunt, quorumque adnotationibus destituti fere nihil sciremus de Terentii fontibus Graecis, nam ex fabulis Terentianis ipsis vixdum quae mutaverit quae omiserit quae adjecerit Terentius apparet, scholiastae demum verba hanc rem nos docent. Scholiis illis si careremus quis,

ut exemplo utar, sciret Byrrhiae et Charini in Andria fabula personas in Menandri, quam Latinam fecit Terentius, comoedia non fuisse, sed a Terentio „ne τραγικωτέρα fieret fabula" additas esse, vel ut Ihnius l. l. p. 8 sqq. exposuit, ex ejusdem Menandri Perinthia assumptas.

Majori fere usui ad cognoscendam Terentii artem nobis sunt fabularum Graecarum fragmenta quae servata sunt a grammaticis nec minus ab iis, qui aliorum libros variis ex caussis compilaverunt. Quorum epitomae cum poetarum prosaeque orationis scriptorum libri his ipsis studiis maximam partem deperirent, ad nostra saecula traditae fontes nunc exstant litterarum Graecarum. Sic comicorum quoque Graecorum plurimae reliquiae tulerunt aetatem, quae, etiamsi membra sunt disjecta, tamen quia integrae comoediae interierunt, maxime sunt dignae, quae a nobis respiciantur. Ex iisdem fragmentis autem intellegere licet quomodo poetae Latini Graecos imitati sint. Etiamsi enim pauca tantum verba comoediarum Graecarum nostris saeculis servata sunt, attamen ex iis totius fabulae argumentum, quale fuerit, perspicere nobis licet. Earum, quas imitatus est, vel latine reddidit Terentius, fabularum reliquiae maximam partem memoriae traditae sunt in commentario Donati, accedunt ea fragmenta quae servata exstant in Athenaei et Stobaei libris, quibus cum Donati adnotationibus conjunctis magna affertur lux quaestioni a nobis de contaminatione institutae. Jam aliud superest novae comoediae reliquiarum genus, quod fortasse commodum nobis afferre potest, versus dico Euripideos, sed quae de iis nobis placuerint jam supra disputavimus.

Sciunt omnes Aristotelem in libro de arte poetica tribus ex rationibus, ut fabula tragica vel comica simplex sit et una, postulare, ex temporis, loci et argumenti rationibus, nec minus innotuit omnibus non emanasse praecepta illa ex Sophoclis vel Aeschyli sed ex Euripidis tragoediis et Menandri Philemonisque comoediis. Fabulam aliquam in uno argumento versari res nullius dubitationis est, neque hac de re verba facerem, nisi exstaret una comoedia, in qua hac re offendimur. Totam fabulam uno loco agi actionemque nullius tem-

poris spatio intermitti itidem necesse est, quare in duabus tantum comoediis in Plauti Captivis Terentiique Heautontimorumeno argumentum non absolvitur uno die.

Jam vero per se intellegitur argumentum non posse absolvi uno tenore sed divisam esse fabulam in complures partes, quas vocant actus, inter quas Aristophanis temporibus chori cantica audiebantur, postea cum choro locus jam non tribueretur, alio modo, ut paullo infra videbimur, actum finem habere indicatum est.

Hanc ad rem quadrant Euanthii verba, quae affere liceat: „Comoedia vetus ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit, ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam comoediam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus jam relinquatur choro. Nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas primo quidem choros praetermittere, locum eis relinquentes, ut Menander fecit, hac de caussa, non ut alii existimant alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est."

Quamvis, quae memoriae tradidit Euanthius, non videantur intellegi, nisi credimus consilio quodam divisisse in partes quinque comoedias poetas Graecos, tamen cum norma illa facta sit a grammaticis Graecis, has fabulas tali modo dividi posse nemo est, qui dubitet; intra unumquemque enim actum una tantum res tractatur, ut tota comoedia constet ex partibus sex sese excipientibus, quarum quaeque suum habet negotium. Totum igitur argumentum absolvitur his partibus: prologo protasi epitasi catastrophe, quarum tertia bipartita est, ut quinque existant actus. Qui actus quamquam omnino quidem iisdem versuum numeris continentur, attamen ex hac ratione dividi non possunt, ut Varro docuerat, cujus verba a Donato in fine argumenti Hecyrae exscripta haec sunt: „Do-

cet autem Varro neque in hac fabula neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero, cum haec distributio in rerum descriptione, non in numero versuum constituta sit, non apud Latinos modo, verum etiam apud Graecos ipsos." Ex fabulae igitur officio actus dividendi sunt; accedunt alia, quae actum finitum esse indicant. Dicit enim Donatus in argumento Andriae: „Principio dicendum est, nullam personam egressam quinquiens ultra exire posse." . . . „Est igitur attente animadvertendum, ubi et quando scena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus vel tibicen audiri possit: quod cum viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere." Quapropter ubicunque scenam intra actum a personis vacuam esse videmus, nihil impedit, quominus scenam aliquam fabulae Graecae a poeta Latino emissam esse judicemus, quae scenae emissae contaminatam esse fabulam documento sunt. Etenim si Terentius comoediam Graecam integram vertisset, quid fuisset, cur hanc illamve scenam emitteret, praesertim cum arctius quam quis alius comicus Latinus ad fontes suos se accomodaret. Hac in re autem cum a viris doctis modus non sit servatus, ut, ubiubi scena a personis vacua esse videbatur, Graeci exemplaris aliquid evanuisse vel factam esse contaminationem contenderent, fieri non potest quin abeam in Ritschelii sententiam quam protulit in Mus. Rhen. Suppl. V. 592. Ex viri illius clarissimi judicio scena a personis vacua non est, nisi egressis omnibus personis procedit aliquis, quem processurum esse nemo dixerat, vel nisi quis egressus prius redit in scenam quam quae facturus erat, facere potuerit. Scena igitur vacua est a personis Eun. III. inter tertiam et quartam scenam, ubi Antipho Chremis Pythiaeque personis egressis, procedit. Incideremus autem in errorem opinati scenam Eun. IV. 1—2 vacuefactam esse; Dorias enim non est egressus sed remansit, id quod apparet ex scena ejusdem actus tertia. Ad eandem rem spectant hi loci: Ad. III. 2—3, III. 4—5, IV. 2—3, IV. 3—4.

At vero quaeritur, utrum, ubicumque scena intra actum a personis vacua est, de contaminatione facta cogitandum sit, annon qua de caussa in Eunuchum fabulam inquiramus. Intra tertiam et quartam hujus fabulae actus III. scenam sine dubio scena a personis vacua relicta est, et Donatus adnotavit (ad Eun. III. 4. 1): „bene inventa persona (Antiphonis) est, cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur, ut apud Menandrum,“ quibus ex verbis intellegere licet, Terentium hoc loco exemplar Graecum variasse et ex suo ipsius ingenio personam illam addidisse. Etiamsi autem Terentius Antiphonis personam non induxisset, attamen actio esset interrupta, nam Chaerea prodiisset in scenam priusquam spectatoribus eum esse processurum nunciatum esset. Ante hanc scenam nonnulla excidisse videntur, quae quidem, qualia fuerint, jam non licet perspicere, quia quae praecedunt scenae, non ex ea fabula, quam potissimum secutus est Terentius sumptae sunt, ex Eunucho, sed ex Colace. Nova Graecorum comoedia cum in rebus domesticis tantum versaretur, fieri non potuit, quin omnia optime procederent. Si igitur in fabula aliqua Terentiana argumentum aliquo loco interrumpitur, si quid agitur, quod cum moribus personarum consentire non videtur, sane non erramus in statuenda contaminatione. Discimus quidem ex Donato, eas Adelphorum comoediae scenas, in quibus lenonis persona agit, ex Diphili „Commorientibus“ esse assumptas, sed Donati verbis opus jam non est, nam fabulae actionem semper progredi necesse est, id quod hoc loco plane neglegitur. Narrat enim Demea in primo actu, se audisse, filium suum lenonis alicujus portam rupisse, atque psaltriam rapuisse, conjiceremus igitur, in sequentibus scenis hujus rei mentionem jam non factum iri, at vero, quid censes, actus alterius argumentum maximam partem in raptione illa versatur, et mirum, actu tertio Geta exanimatus in scenam irrumpens dicit, quaerere se dominam ut narret ei vidisse se adolescentem puellam illam a lenone rapientem. Nonne haec res ter repetita videtur languidior esse quam quae a comico Graeco scripta esse possit? Non igitur falli me credo opinantem contaminationis factae caussa hanc rem ter repetitam esse.

In Eunucho fabula idem contendere nobis licet. Procedit in scenam IV. 1. Dorias, quae persona ad nodum implicandum vel explicandum nihil valet, nam non agit, sed narrat tantum, quae in convivio Thaidis Strathonisque facta sint. Personam aliquam quae per se nullius momenti est, quaeque extra argumentum est, comici Graeci in comoedias non induxerunt, quare cum eas scenas, in quibus miles et parasitus agunt, ex „Colace" assumpserit Terentius, facillime intellegitur Doriae personam inventam esse a scriptore Latino ut Colacis scenas cum Eunuchi consueret.

Has tamen personas cum primo obtutu cum argumento non cohaerere sed aliunde assumptas esse intellegamus, longe aliter res se habet de Charini et Byrrhiae in Andria personis, quae per totam fabulam procedunt. Scimus quidem ex Donato has personas in Menandri Andria non fuisse, sed neglecta hac adnotatione non potes non concedere eas extrinsecus additas esse, nam ad rem expediendam nihil valent. Quare etiamsi abessent argumentum optime expediretur, cum de unius Pamphili amoribus agatur, hique amores ut laetum habeant exitum nostra intersit. Demonstravit quidem Ihnius scenas illas ex Perinthia Terentium esse mutuatum, argumentis autem quibus usus est hoc adiciam. Andr. II. 2. 36. Davus Charinum adhortatur ut Chremes amicos exoret ut ipsius ad senem caussam agant; Charinus se illud facturum esse promittit, cujus tamen rei jam non fit mentio. Sine dubio senis amicorum auxilio Charinus in Perinthia, quae voluit, impetraverat, in nostra autem fabula auxilio illo opus non est, eademque de caussa cum res illa non sit peracta Charini et Byrrhiae personae a Terentio, ut mihi quidem persuasum est, ex Perinthia depromptae sunt.

Compluribus comoediis Graecis consarcinatis ejus quam potissimum secutus est Terentius, fabulae argumentum poetae Romano mutandum fuisse, optime videmus ex Eunuchi act. V. scen. 8.

Fingit enim poeta, ut Thrasoni quoque aliqua ex parte satisfiat, Gnathonem militi cum Phaedria amicitiam comparantem, quare efficitur, ut illi ad Thaidem aditus pateat. Sed

quibusnam caussis commotus concessit illud Phaedria? Quia quos faceret sumptus Thais suppeditare non posset. Phaedriam autem virum magnis opibus instructum esse jam inde elucet, quod fratris gratia lenoni puellam eripuit trigintaque minas solvit, idemque docent munera illa splendidissima quibus Thaidem donavit. Praeterea autem Phaedriae pater qui Thaidem ob felicissimos mores adamaverat, sine dubio sumptus ejus tolerasset. Quid igitur militis pecunia opus est? Restat ut credamus, hunc exitum tali modo conformatum esse, ne res tragicae comoediae intermiscerentur. Talia cum non cohaereant cum tote argumento per se indicant fabulam ex compluribus Graecis conflatam atque consarcinatam esse maximique sunt momenti ad cognoscendam contaminationem.

Restant nonnulla quae quamvis minoris momenti sint tamen videntur non esse praetereunda. Plautus cum comoediam Graecam Romanorum moribus maxime accommodaret titulis quoque usus est latinis, iis fabulis exceptis quae nominibus propriis inscriptae sunt. Caecilius et Graecos edidit titulos et Latinos, Terentius autem titulos adhibuit mere Graecos, neque injuria, nam ipsius comoediae magis quam Plautinae exemplar Graecum redolent. Neque mirum est, poetam eum titulum comoediae indidisse, quo, quam petissimum secutus erat, fabula Graeca, inscripta erat. Ex titulis igitur fabularum Terentianarum excepto Phormionis titulo, de qua fabula infra disputabimus, de contaminatione facta fere nihil videre possumus.

Ad personarum nomina quod attinet, Terentius maximam partem fontis Graeci nomina servavit, neque, quoties alia iis indidit nomina, cur hoc fecerit, perspicere nobis licet. Gnathoni in Menandri Colace nomen Struthiae erat, Phaedriae personae in Menandri Eunucho nomen erat Chaerestrato, cf. Grauert p. 140. 154. In universum poetae comici personis talia indiderunt nomina, qualibus earum mores atque conditiones indicabantur, ut adnotavit Donatus ad Ad. I. 1. 1: „Nomina personarum, in comoedia dumtaxat, habere debent rationem et etymologiam. Etenim absurdum est comicum aperte argumenta confingere

vel nomen personae incongruum dare vel officium, quod sit a nomine diversum." Itaque certus tantum ordo vel numerus nominum ab auctoribus comicis adhibitus est, et a Terentio ipso nomina personis, quamvis hic illic variata sint, hunc in modum indita sunt, quare ex personarum Terentianarum nominibus nihil concludere possumus de modo ac ratione quibus poeta Romanus in vertendis fabulus usus est. Si qua caussa adductus nomina variavit, haec fortasse fuit, quod, quae adhibuit personarum nomina, Romanis jam fuerunt usitata, quam ob rem cum jam ex Plauti temporibus iisdem personis eadem inderentur nomina, spectantes ex nominibus ipsis quale officium habitura esset persona, intellegere potuerunt.

Majori fortasse usui nobis est ratiocinatio numeri histrionum quibus ad fabulam agendam opus erat. Comoediae veteri tres histriones suffecerunt, raro tantum quarto opus fuit, cujus partes choragus suscepit, id quod Graeci appellabant *παραχορήγημα*. Argumentum autem novae comoediae cum implicatum esset, numerus ille jam non suffecit, quam ob rem Euanthius in commentario supra laudato contendit, fabulas paullatim a quinque actoribus actas esse. Dicit enim — ne omittas, quaeso, ejus verba non quadrare ad comoediam Romanam sed ad novam Graecorum —: „Sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam. Tum altera, tum tertia et ad postremum crescente numero per auctores diversos personae . . . reperta," et paucis verbis post „et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent." Apparet Euanthium hoc loco Graecam attingere comoediam, sed bonorum auctorum fide illa eum protulisse elucet ex ipsius verbis infra nostrae memoriae traditis: „de qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen vel admonendi lectoris caussa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere."

Diomedes quidem in artis grammaticae libro III. (gramm.

lat. ed. H. Keil I. p. 491) dicit: „personae autem diverbiorum sunt duae aut tres aut raro quattuor esse debent, ultra augere numerum non licet.“ Sed non licet aperte dicere quamnam ad comoediam spectent Diomedis verba, fortasse fabulam palliatam qualis imperatorum temporibus florebat, in animo habuit. Ex Euanthii verbis intellegimus in tribus histrionibus comoediam non acquievisse, idemque discimus e Plauti Terentiique comoediis. Subintellegendum autem est eandem personam ab eodem histrione per totam fabulam actam esse, aliter autem rem se habuisse nullo loco traditur nec si traditum esset, pro vero accipi posset. Ad agendas fabulas Terentianas quinque opus est actoribus in Heautontimorumeno et Hecyra fabulis, in Phormione et Adelphis sex, in Andria septem, quin etiam Eunuchus fabula octo sibi expetiit actores.[1]) Quam ratiocinationem non non fallere apparet ex tabella quadam, quae inest in codice Vaticano, quaeque pertinet ad Phormionis II. 4. Haec enim tabella non solum quinque exhibet personas agentes sed etiam Phormionem. cf. Schmidt p. 43. Utut res se habet, videmus eas fabulas quae contaminatae sunt plures expetere actores quam quae non sunt contaminatae; nec mirum, illae enim fabulae quia perplexo gaudent argumento ad rem solvendam plures personas vel potius actores habere debent, quam quae simplicioris sunt argumenti, nam multa illic aguntur quae hic narrantur. Ex mea igitur sententia si quam fabulam plus quam quinque actores exposcere videmus, contaminata est ex compluribus comoediis Graecis.

Adicere liceat pauca de metris quibus poetae comici usi sunt. Comoediae Aristophanis inserta erant cantica, nec minus dialogi variis compositi erant metris, sed jam illius temporibus cum res publica magna accepisset detrimenta, chorus comminuebatur, paullatimque et cantica et parabasis neglegebantur eaque quae olim in parabasi ad populum dicta erant, dicebantur in prologo. Qua de caussa factum est „ut“ secundum Euanthium, „in ea (scilicet fabula) non modo

[1]) Friedr. Schmidt: Die Zahl der Schauspieler bei Plautus und Terenz. Erlangen 1870. p. 58.

non inducatur chorus sed ne locus quidem relinquatur choro." Nihilominus Menandri fragmentorum nonnulla metra exhibent lyrica, quibus metris sine ulla dubitatione cantica vel monodia continebantur, quare Plautus quoque hic illic metris jambicis lyrica intermiscuit, Terentius autem paucis tantum locis exceptis metris usus est jambicis vel trochaicis. Cum igitur fere ubique intra trimetros vel tetrametros versetur, ex re metrica de contaminatione nihil possumus conicere.

III.

Jam vero hucusque nihil antiquius habebamus, quam ut demonstraremus quid esset contaminatio, quibus caussis commoti comici Romani fabulas Graecas consarcinassent, quibus denique rebus contaminatio facta nobis esset perspicua. Minime quidem ignoro, caussarum, quas contaminationem factam esse demonstrare contendi, hanc alteramve infirmiorem esse, quam qua sola nixi de variatio exemplari Graeco judicare possimus. Nemo autem, etiamsi obiter tantum, quae disputavimus, perlegerit, negare poterit, fabulam aliquam Terentianam, si inquirentibus nobis contaminationis testimonia cnmpluria eaque gravissima praesto sunt, fabulam dico conglutinando et mutuando a poeta Romano esse conscriptam.

Qua commotus ratiocinatione Phormionem coemoediam Terentianam, non unius fabulae Graecae vestigia prementem sed ex altera aliquid mutuantem Terentium composuisse contendo, jamque in sequentibus sententiam meam explanare atque defendere constitui.

Sed priusquam ad rem ipsam transeamus, breviter quale fabulae argumentum sit, illustremus.

Chremes, civis Atheniensis, Phaedriae pater, quotannis in Lemnum insulam se conferebat, ut praedii, quod Nausistrata conjux ex parentum hereditate illic habebat, fructus caperet. Ebrius quondam mulierem illic compressit, filiamque ex ea suscepit: sed ne res palam fieret, Stilponem se nominari mulieri dixit. Magnam igitur vectigalium partem in muliere ejusque

familia alenda consumpsit, conjugi autem, quotiescunque Athenas redierat, agrum hac illac de caussa fructus non tulisse persuasit Quotannis in Lemnum rediens mulieri quae victui opus erant praebebat, cum tamen aliquando in tempore illuc proficisci non potuisset, mulier illa Lemnia, quia non habebat, unde viveret Athenas profecta est quaesitura Stilponem, quem tamen, minime mirum id quidem, reperire non potuit; nec multo post diem obiit postremum.

Chremes Demiphonis fratris Antiphoni filio filiam suam in matrimonium daturus, quo tempore Demipho in Siciliam abiit, profectus est in Lemnum ut filiam illam Athenas secum duceret. Priusquam autem abierunt Getam servum filiorum magistrum reddiderant senes, qui illorum vitam moderaretur atque regeret. Nihilominus mulieris illius mortuae filiam in matrimonium duxit Antipho patrique cum rediisset constituit persuadere virginem illam indotatam ipsis esse cognatam, quam ob rem a judice illam ducere jussus esset, cujus rei testis Phormio parasitus exsisteret. Demipho pater, Athenas redux factus, indotatam nurum expellere cum velit, Phormionem, qui virginis patronus esse dicebatur, arcessi jubet, exque eo quaerit quaenam patris puellae cum ipso propinquitas fuerit. Quas garrit nugas Phormio etiamsi non credit pater, tamen, quia secundum leges Atheniensium puella filio commissa erat, se Phormioni, si eam ducturus est, daturum esse triginta minas profitetur. Altera ex parte Chremis filius Phaedria citharistriam adamare coeperat eamque, quae in lenonis cujusdam manu erat, redimere cupiebat, sed cum pecunia non esset, qua data eam in suam recipere posset manum, maximo affectus est dolore. Chremes senex, qui et ipse tunc temporis Athenas rediit, fratris filium peregrinam puellam duxisse videns atque veritus, ne flagitia sua in Lemno insula commissa palam fierent, adhortatur Demiphonem ut, quas postulaverat triginta minas Phormio, det, ipseque hac in re fratrem se adjuturum esse pollicetur. Pecunia data per Sostratam nutricem virginem illam ipsius esse filiam comperit Chremes, eaque re Demiphoni nuntiata operam dant senes ut a Phormione trigintas minas recuperent. Phormio

autem, cui pecunia illa redimendae citharistriae caussa opus est, quique de re jam desperat, maximo suo gaudio comperit a Geta Phanium, Antiphonis conjugem Chremis esse filiam furtive susceptam. Senes igitur cum magno clamore pecuniam a Phormione reposcant, cumque in jus sint vocaturi, hic, ne quid detrimenti capiant Phaedriae res, Nausistratam advocat eique quid delicti contraxerit maritus narrat atque quam in rem triginta minas consumere voluerit dicit. Quibus narratis filiis ignoscunt omnes et Phanium in Antiphonis domo ut remaneat conceditur.

Exposito fabulae argumento, comoediae Graecae reliquias tractare nobis liceat, ut, quantum potest, videamus, qua ratione Terentius in conscribenda hac fabula usus sit. Quae reliquiae quamvis paucae tantum exstent, tamen omnino qualis fuerit comoedia Graeca docent, aetatem autem tulerunt in Donati ad hanc fabulam commentario servatae.

Et primum quidem videmus fabulae Terentianae initium in iisdem rebus versari, atque Apollodori. Ad Phorm. I. 1. 14 enim adnotavit Donatus: . . . „Terentius Apollodorum sequitur, apud quem legitur in insula Samothracum a certo tempore pueros initiari more Atheniensium, quod, ut in palliata, probandum est magis.“ Ad ejusdem actus 2, 37 ascripsit Donatus: „Apollodor. *Ναλκεις δεσυνεμαλι μεολ*“ quorum verborum quae plane non intelleguntur, loco codex Antwerpensis lectionem exhibet hanc: *Ἀναλκεις δε συνεμαμμωα ἐναργης δε συνεπι μελομεϑα.* Haec quoque lectio non ita ad artis grammaticae leges expressa est ut prorsus intellegi possit, attamen verba *ἀναλκεις, ἐναργης* et *συνεπιμελομεδα* sufficere videntur ut credamus Terentii versum fragmento Graeco respondere.[1])

---

[1]) Per conjecturam quidem Apollodori verbis medelam afferre possemus, discimus enim e codicis Antwerpensis lectione corruptelam imprimis verbo *συνεμαμμωα* inesse, cum tamen totus locus sit corruptus, emendatio codicum apices tantopere relinqueret, ut nemo sit, qui pro recta eam habeat. Itaque cum Meinekio in lectione tradita acquiescamus, hic enim vir illustrissimus cum eam emendare non sit ausus, sine dubio de bona vel recta emendatione desperavit.

Deinde laudat Donatus Apollodori comoediam ad Phorm. I. 2. 41: „Apollodorus tonsorem ipsum nuntium facit, qui dicat, se nuper puellae comam ob luctum abstulisse, quod scio mutasse Terentium, ne externis moribus spectatorem Romanum offenderet.“ Docet igitur Donatus Terentium fontem suum paullo variasse. Ex tribus his Apollodori fragmentis videmus, in illius fabula primum actum ideoque expositionem eadem fuisse atque apud Terentium. Agitur illic ut in nostra fabula de herili filio, qui indotatam duxit uxorem, de altero adolescente, qui amoribus citharistriae vexatur, cuique pecunia non est, qua illam redimat. Ex fragmento comoediae Graecae a commentatore ad I. 2. 37 laudato videmus in Graeca quoque fabula Getam servum a senibus ad custodiendos regendosque filios relictum esse. Apparet deinde ex tertio Appollodori fragmento Terentium, etiamsi mores Graecos cum Romanis commutaverit, tamen in hac quoque expositionis parte Apollodorum secutum esse. Quam ob rem dubitandum non est, et Demiphonem et Chremem easdem egisse partes apud poetam Graecum atque apud Romanum. Etenim si res aliter se haberet sine dubio quae mutasset Terentius a Donato vel ab eo, qui primus Apollodori verba adjecit, adnotatum fuisset, ut discimus e primo et tertio fragmento Graeco. Habemus igitur in Apollodori comoedia personas Terentianas Chremem et Demiphonem, Getam servum, Antiphonem et Phaedriam senum filios, citharistriam Phaedriae amicam, civem Atticam, Antiphonis conjugem factam et Phormionem parasitum. Invenimus etiam in comoedia Graeca Chremem in Lemnum insulam profectum et Demiphonem avarum descriptum, nec minus expositas fallacias, quibus filii et Phormio senes decipere student.

Fragmenta comoediae Graecae quae ad Phormionis fabulae actum secundum pertinent, nulla quidem exstant, sed adnotationem habemus Donati quae qualis comoediae Graecae actio fuerit certiores nos facit. Adnotavit enim Donatus ad Phorm. II. 1. 51: „Oratorie crimen quod objectum est, non purgavit modo, sed etiam ad laudem convertit, quod rhetores *περίστασιν* dicunt. Et hoc de Apollodoro.“

Praeterea ad ejusdem scenae versum 11. Lindenbrogius attulit Euripidis in Theseo fabula deperdita versus, qui a Plutarcho mor. p. 112. d. servati sunt, quosque Cicero Tusc. 3, 14. 29. latine reddidit. Sunt autem hi:

ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς
θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς,
ἵν' εἴ τι πάσχοιμ' ὧν ἐδόξαζον φρενί,
μή μοι νεωρὲς προσπεσὸν μᾶλλον δάκοι.

Qui versus cum Terentianis mire consentiunt. Supra quidem disputavi locos ex Euripide sumptos infirmum praebere argumentum imitationis comici Graeci, cum tamen alter in eadem scena locus sit, quem auctore scholiasta Terentius ex Apollodoro mutuatus est atque cum totius scenae argumentum ad exemplar Graecum compositum videatur esse, non dubito in versibus Terentianis, qui cum Euripideis consentiunt, Apollodori manum agnoscere.

Cum igitur hac in scena Terentium fontem suum secutum esse videamus, licet colligere scenas II. 3 et II. 4, in quibus Antipho et Phaedria nobis versantur ante oculos de fortuna sua desperantes et Geta adolescentes ut forti sint animo exhortans, ab Apollodoro assumptas esse. Poetam Graecum aliam ingressum esse viam cogitari plane nequit, nam quid melius proponere potuit quam in scenam mittere adolescentes ob patris adventum summo moerore affectos et servum ad rem susceptam peragendam adhortantem? Restat ut credamus Terentium has scenas omnino non reperisse in fonte Graeco sed ex suo ipsius ingenio addidisse, id quod mihi nullo modo persuadetur. Arctissime enim cum toto argumento cohaerent et ex intimo fabulae lineamento compositae sunt, ut demptis iis expositionis magna existeret lacuna. Nam his in scenis fundamenta jaciuntur totius actionis, ut carere iis nemo possit, praeterea autem maximo sunt commodo ad spectantium animos commovendos rerumque sequentium cupidos reddendos. Minime igitur fallimur contendentes in Apollodori comoedia eas fuisse.

Ad Phorm. II. 2. 25 ascripsit Donatus:
„Haec non ab Apollodoro, sed e sexto saturarum
Ennii translata sunt omnia:
Quippe sine cura, laetus, lautus quom advenis,
Infertis malis expedito brachio,
Alacer, celsus, lupino exspectans impetu,
Mox dum alterius abligurias bona:
Quid censes dominis esse animi? Pro divum fidem
Ille tristis cibum dum servat, tu ridens voras.“

Nihilominus autem ceteri hujus scenae versus ex Apollodoro recepti sunt, nam ad argumentum expediendum iis opus est. Quid enim in tota scena aliud inest quam Phormio parasitus descriptus, depicti mores eorum, qui nihil molientes aliorum sumptibus splendidissime vivebant. Quamvis igitur explanare non possimus, cur Terentius Ennii versus accipere maluerit quam poetae Carystii, tamen dubium non est, Graecum quoque poetam Phormionis mores hoc loco depinxisse. Ceterum notandum est comicos Graecos cupidissime parasitorum mores produxisse in scenam, hisque in describendis magnam uniuscujusque fere comoediae partem esse versatam. Quare cum tota scena ab Apollodoro desumpta sit dubito credere Terentium pauca illa verba ab Ennio mutuatum esse et cum Fritzschio (de graecis Terentii fontibus Rostoch. 1859 II.) arbitror Donatum errasse. Sunt autem ex Fritzschii sententia versus illi ex fabula Graeca desumpti, nam legimus vers. 25: ten asymbolum venire, et., id quod Donatus Terentii Andriae locum afferens recte interpretatur; itidem verba „coena dubia“ ex fonte Graeco assumpta sunt, nam si ab Ennio essent accepta jam non esset opus verbis Getae ver. 20: „Quid istuc verbi est“, quae enim sequuntur verba Phormionis sententiam exponunt. Fritzschius igitur optimo jure fingit Terentium hoc loco reperisse in exemplari Graeco „ἄπορον δεῖπνον id est δυςπόριστον δεῖπνον.“

Phorm. II. 1. 75 Demipho dixerat:
„hominem commonstrarier
Mi istum volo, aut ubi habitet demonstrarier,“

Getaque se illum esse arcessiturum promiserat, nemo igitur erit, quin contendat ejusdem actus scenam tertiam, in qua omnis Phormionis audacia demonstratur, in fonte Graeco fuisse, praesertim cum haec ex hilarissimis scenis sit et nomen patris puellae commemoretur, quo in falso nomine totius comoediae argumentum versatur. Quam ob rem ea quoque scena, quae sequitur, ad librum Graecum expressa esse videtur, Hegionem enim aliosque advocatos una cum Demiphone prius in scenam prodiisse quam egressus sit Phormio patet e Demiphonis verbis II. 11. 6: „Videtis et.“

Scena sequenti (III. 1) Antipho prodit seque ipsum accusat quod suam rem aliis commiserit atque conjugem inhonestissime deseruerit. Certior factus a Geta de conditione sua gaudet, mox vero angitur audiens avunculum brevi tempore rediturum esse patremque ab eo quaesiturum quid sit faciendum. Dicit enim III. 1. 18:

Quantum metuist mihi, videre huc salvom nunc patruom, Geta!
Nam ejus per unam, ut audió, aut vivam aut moriar sententiam,

ad quae verba adnotavit Donatus: „Non optat salvum patruum venire secundum Apollodorum, et ostendit non congruere salutem ejus cum commodo suo.“ Elucet sane ex his verbis hanc scenam ex Apollodoro assumptam esse. Jam sequitur scena, in qua lenonis mores Phaedriaeque timores, ne citharistriam amittat, depinguntur. Ad variam diversamque adolescentium fortunam describendam sane multum valent, jamque in eo sum, ut eas desumptas habeam ex Apollodori comoedia. Unum tantum dubitationem movere posset, nempe Donati ad III. 2. 21. verba: „Graecum proverbium: *Τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον: οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.*“ A rei metricae quidem legibus abhorrent, attamen contendere non licet ea in Apollodori libro non fuisse; hic enim fortasse cum verba metro respondere deberent, proverbii contextum quodam modo variavit, commentator autem non tam poetae ipsius verba laudavit quam proverbium illud ascripsit, quod omnibus jam du-

dum innotuit. Quod si credimus res optime procedit. Jam vero luculentissime ex fragmento Apollodori ad tertiam hujus actus scenam a scholiasta laudato et tertiam et alteram actus tertii scenas ad fabulae Graecae contextum expressas esse discimus, arctissime enim inter se cohaerent et in scena tertia nihil aliud agitur quam in praecedente. Putasne igitur animo nos agere dissoluto utramque scenam ex fonte Graeco derivatam ratos? Exstat enim ad III. 3. 30 fragmentum Apollodori a Donato adscriptum: „μόνος ἐπίσταται φιλεῖν φίλους“ vel ut Guyetus scripsit: „μόνος φιλεῖν γὰρ τοὺς φίλους ἐπίσταται“.

Usque ad hunc locum, ut videmus, Terentius Apollodori pressit vestigia, sed quartum quoque actum ad fontem suum composuit. Ut Terentius sic Apollodorus Demiphonem cum Chreme ex longa absentia in patriam redeunte fecit colloquentem huncque maxime de se ipso verentem quia quam arcessiturus erat mulierem in Lemno insula non comprehenderat, eademque de caussa quod de filia viro collocanda voluerat, impetrare non poterat. Quae nos docent verba Donati ad IV. 1. 9. Apollodorus: „τὸ γῆράς ἐστιν αὐτὸ νόσημα“ et ad ejusdem scenae versum 21: „Apollodorus: ἐγὼ γάρ εἰμι τῶν ἐμῶν ἐμὸς μόνος“.

Scena actus quarti secunda fragmentis Graecis quidem destituta est, sed tali modo cum toto comoediae argumento cohaeret, ut eam in Apollodori fabula non fuisse vixdum credendum sit. Certiorem licet proferre sententiam de scena quarta, quam auctore scholiasta Terentius ad Apollodori verba expressit. Dicit enim Donatus (ad IV. 3. 42): „In graeca fabula senex hoc dicit: Quid interest me non suscepisse filiam, si modo dos dabitur alienae?“ Apud Terentium enim verba sunt Getae servi. Accedunt duo fragmenta Graeca ab eodem Donato laudata quae etiamsi minima sunt tamen per totam scenam Terentium auctorem Graecum secutum esse docent. Adnotavit enim Donatus ad v. 62: „Perspicere hinc licet consuetudinem utriusque sermonis. Nam Apollodorus μυρίας dixit pro multis ctt.“ et ad v. 56 Graecum attulit proverbium:

„*Τὶ δὲ; εἰ τὴν ψυχὴν ὀφείλει*“, quod fortasse si non iisdem verbis tamen simili sententia expressum in Apollodori comoedia exstabat.

Inde ab hoc versu reliquiae fabulae Graecae jam non exstant, attamen credendum est illius argumentum usque ad actus V scenam 7 idem fuisse atque fabulae Terentianae. Etenim in iis, qui antecedunt, actibus totum argumentum ita est constitutum ut nullo alio modo quam apud Terentium nodus solutus esse possit. De reliqua comoediae parte inde a scena 7 actus V paullo infra videbimus quid sit statuendum. Restant duo fragmenta Apollodori a Lindenbrogio Fritzschioque ex Euripide allata, quorum de altero ex Euripidis Theseo laudato jam supra disputavimus. Terentii deinde IV. 5. 14 verba: „mulier mulieri magis congruit“ Fritzschio auctore eandem praebent sententiam atque Euripidis Hel. 830: „*γυναικὶ προσφέρον γυνή*“. Cum scena haec sine dubio ex Apollodoro manaverit non dubito in Fritzschii sententiam abire. Nimis audacter autem Fritzschius rem gessisse videtur qui quoniam Phormionis verba I. 2. 29 „scisti uti foro“ cum Anaxandridis apud Athen. VI. 263, et fabulae nostrae I. 2. 30 cum Theophili verbis apud Athen. XIII. 563 consentire videntur, persuasum habet Terentium verba illa ex Apollodoro desumpsisse. Nec minus falli videtur cum ad Phorm. I. 2. 28 laudans Eubuli apud Ath. XI. 473 verba dicat: „Et sicut ab Eubulo Terentius ita vicissim lucem a Terentio accipit Eubulus, qui mihi prorsus ut Terentius fecit in ipso prologo Pamphili haec scripsisse videtur.“ Fieri quidem potuit, ut Apollodorus hic illic aliorum poetarum verba adhiberet, vel alii Apollodori, quoniam quae tractabantur argumenta in una fere eademque re versabantur, sed hac ipsa de caussa Terentii verba ad exemplar Graecum conformata esse nihil cogit ut credamus, ex ipsius tamen ingenio conscripta esse possunt.

Quibus disputatis aggrediamur rem maximi momenti quae si certa ratione dijudicari potest, optimam quaestioni a nobis institutae affert lucem.

Phormionis fabulae titulus exhibet verba „Graeca. Apollodoru. Epidicazomenos.“ et Terentius ipse in prologo dicit (v. 25):

„adporto novam
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant.“

Donati autem ad hunc versum verba haec sunt: „Hic manifeste errat Terentius. Nam haec fabula, quam transtulit, Epidicazomene dicta est a puella, de qua judicium est, cum sit alia Epidicazomenos ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere: Epidicazomenen Graeci: Latini Phormionem.“; et in Phormionis argumento dicit: „Hanc comoediam manifestum est prius ab Apollodoro sub alio nomine, hoc est, Ἐπιδεκαζομένη, Graece scriptam esse, quam Latine a Terentio Phormionem.“ Scholiastae igitur et poetae ipsius verba sibi opposita sunt; atqui scholiasta viam nobis aperit qua quod verum est reperire possumus. Sed priusquam his de rebus disputamus quae aliorum eorumque doctissimorum virorum sit sententia videamus quippe cum his de locis saepissime sit disputatum.

Koenighoffius: de scholiastae arte critica pag. 19 (Prgm. Aquisgran. 1840) affert Bentleyi opinionem: „Id miror maluisse Donatum manifesti erroris arguere auctorem quam occulti errati suum quo utebatur exemplar. Repone hic:

„Epidicazomenen quam vocant ctt.“

Sluiterus lectt. Andocid. p. 93 existimavit, duas fuisse Apollodori fabulas Epidicazomenon et Epidicazomenen, quarum priore usus esset Terentius, non enim adolescentem vocare in jus Phanium, sed Phormionem, qui exstiterit Phanii patronus, illum vocare in jus, ut puellam ducere cogatur.

Meinekius fragm. Men. p. 61 dicit: „Argumentum (ἐπικλήρου) Menandri fortasse erat similis argumento Phormionis Terentianae ex Apollodori Epidicazomene conversae“, postea autem sententia hac abjecta scripsit frag. com. graec. I. 465: „Epidicazomenon si

inscripsit Apollodorus, fecit hoc propter Phormionem, qui se paternum Phanii amicum simularet, ideoque caussa virginis suscepta Antiphonem in judicio cogeret, ut illam matrimonio sibi jungeret. Itaque Phormio *ἐπεδικάσατο τῇ Φανίῳ τοῦ Ἀντιφῶντος* quem ad modum *ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου τίνί* dicitur is, qui alii hereditatem vindicat" „Sin Epidicazomenen inscripsit, id propter Phanium fecisse putandus est, quae intercedente Phormione cogeret Antiphonem, ut se uxorem duceret. Potuit igitur eadem fabula quam Apollodorus *Ἐπιδικαζόμενον* inscripserat, proclivi errore ab aliis *Ἐπιδικαζομένης* nomine frequentari".

Ἐπιδικαζόμενος, ut Struvius lectt. Lucian. p. 212 arbitratur, is est, qui in judicio aliquid petit, vel lege agit, denique qui contendit, aliquem puellae pauperi proxime esse cognatum, qua de caussa Apollodorus fabulae titulum indiderit Epidicazomeni, quem titulum cum Terentius Latinum facere non potuerit, Phormionem fabulae nomen esse auctorem voluisse Latinum, utpote cum Phormio *ὁ ἐπιδικαζόμενος* sit.

Koenighoffius denique pro recto accipit duas fuisse fabulas Graecas argumenti non tam diversi, Epidicazomenen et Epidicazomenen.

Ex mea quidem sententia fabulae, quam vertit Terentius, Graecae titulus is est, quem poeta Latinus in prologo nobiscum communicat, quique ad nostrum usque aevum in codicibus scriptus exstat. Donatus autem re vera Apollodori fabulas non trivisse manibus videtur sed aliorum tantum grammaticorum adnotationes collegisse. Quorum qui primus fabulis Terentianis operam navavit, hic illic poetae Graeci verba adscripsit comoediae titulo plane neglecto. Qui post illum commentario instruxit Terentii comoedias, qui et ipse fortasse librum Graecum volvit, cum vidisset Epidicazomenen fabulam simillimam esse Phormioni Terentianae, imprimis cum Epidicazomenes finis cum comoediae Romanae congrueret, adnotavit fontis Graeci nomen esse Epidicazomenen.

Nihilominus autem super vacaneum non est quaerere, an fabulae alicui titulus vel Epidicazomenos vel Epidicazomene dari potuerit.

Si quis dives Atheniensis intestatus moriebatur atque filiam neque vero filium relinquebat, is qui proximus mortuo erat, illam in matrimonium ducere poterat atque mortui hereditatem sibi exposcere, cujus rei vocabulum forense est: *ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου;* vel si puellam filio suo vel alii cuidam adolescenti poscebat: *ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου τινί,* quam ad rem illustrandam magni sunt momenti verba Micionis Adelph. IV. 5. 17:

„Hic meus amicus illi genere est proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc."

Talis puella hereditate instructa appellabatur *ἐπικληρίς* vel *ἐπίκληρος*; si autem complures de ea litem dicebant, fiebat *ἐπίδικος*. Facile intellegitur, quoties *ἐπίδικος* relicta est multos eam in jus vocasse, et inter eos, qui illam sibi exposcerent, saepissime lites exortas esse, ideoque non miramur complurium poetarum Graecorum comoedias commemorari, quibus titulus erat *Ἐπιδικαζόμενος*; exempli gratia laudantur praeter Apollodori Philemonis Diphili et Anaxippi *Ἐπιδικαζομένους* *Ἐπίδικον* Menandri. Aliter autem res se habebat, cum aliquis pauper civis mortuus erat filiamque reliquerat indotatam. Tales puellae appellabantur *θῆσσαι*, ut Pollux dicit III. 33: „*ἡ μέντοι κλῆρον οὐκ ἔχουσα πατρῷον θῆσσα καλεῖται, ἣν ὁ ἀγχιστεὺς ἐκδίδωσιν, ἂν ἑτέρᾳ συνοικῇ, ἢ πάντως γαμεῖ.*" Quare qui tali puellae proximus erat, in matrimoninm eam ducere vel ei dotem dare cogebatur. Sane non fallimur sententia rati, neminem matrimonio sibi fuisse juncturum talem virginem. Licebat autem puellae archontem si non ipsi per tutorem tamen, vel patronum adire, et, ut conjux vel dos sibi tribueretur petere. Si igitur ille, qui *ἐπίκληρον* sibi exposcit appellatur *ἐπιδικαζόμενος*, optimo jure puella, quae, ut a viro ducatur, petit, dici potest *ἐπιδικαζομένη*.

Itaque interpretatur Henricus Stephanus in thesauro *ἐπιδικάζεσθαι* „petere hereditatem", et dicit „Sic et *ἐπιδικαζομένη τῶν χρημάτων*". Ex Isocrate (p. 385 A) affert:

Τῆς οὐσίας ἐπιδικάζεσθαι. Reperimus quoque apud Isaeum p. 50 extr. *Τῶν λοιπῶν ἑκάστη τὸ μέρος ἐπεδικάσατο.* Non igitur erramus judicantes, puellae quoque, si erat indotata, ut in matrimonium duceretur ab eo, qui propinqua ipsi junctus erat cognatione, poscere licuisse. Qua de caussa nihil impedit, quominus Apollodori fabulam Epidicazomenen inscriptam exstitisse pro explorato habeamus. Ex altera parte et Epidicazomenon Apollodori exstitisse credendum est, quatenus Phormio parasitus puellae exstiterit patronus Antiphonemque in jus vocaverit. Nimirum Apollodorum comice dicendi rationem mutasse credamus, cum *ἐπιδικαζόμενος* aliis locis is sit, qui sibi vel filio dotatam exposcit filiam, Phanium autem, ut jam diximus, indotata sit. Sed si quis credat, Antiphoni nomen Epidicazomeno datum esse, sane errat, nam illius persona ad argumentum tractandum fere nullius est momenti. Itaque Apollodori fuisse possunt comoediae Epidicazomenos et Epidicazomene, atque re vera fuerunt, ut ex Donati verbis elucet. Terentii autem fons sine dubio erat Epidicazomenos, si non per totam fabulam tamen per maximam ejus partem, extremam enim comoediae partem mutuatus est, ut infra videbimus ex Epidicazomene. Sustentatur opinio nostra tituli verbis, qui Phormionis Terentianae fontem dicit Epidicazomenon esse non Epidicazomenen, tituli autem cum ex libris aediliciis manaverint, maxima sunt digni fide. Etiamsi igitur Terentii ipsius in prologo de fonte Graeco verba non exstarent, attamen unius tituli auctoritate commoti scholiastarum verba vera non continere crederemus.

Donatus in argumento Phormionis „Argumentum quoque, inquit, non simplicis negotii habet, nec unius adolescentis, ut in Hecyra, sed duorum, ut in ceteris fabulis,“ et Euanthius in commentario de tragoedia et comoedia: „Illud etiam inter cetera ejus (Terentii) laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adolescentulos habent.“ In omnibus fabulis Hecyra excepta binorum adolescentium

amores aguntur, eademque de caussa argumenta fabularum illarum dicuntur duplicia. At vero nonne in unaquaque comoedia amores illi ita inter sese conjuncti sunt, vel adolescentium binorum fata nonne eundem petunt exitum, ut simplex videatur esse argumentum? Quod simplex argumentum ab Aristotele, ut jam supra diximus, in fabulae conditionibus vel fundamentis enumeratur. Etenim unaquaeque fabula sive comica sive tragica unius hominis fato expletur, hominum fata autem cum nunquam nisi inter omnes cives appareant, alios quoque homines in fabula agere necesse est. Qui sunt participes sortis illius aut ejus, qui primas agit partes, fati auctores aut extra argumentum sunt et ad fabulam locupletiorem reddendam a poeta assumuntur. In unaquaque fabula una res agitur, ideoque unum tantum argumentum esse licet. Quam in legem neque tragici neque comici poetae umquam peccaverunt, unde colligere licet, fabulam comicam Romanam, quae duplicis argumenti est, non unius comoediae Graecae premere vestigia sed conflatam esse e compluribus. Quid igitur sentiendum est de Phormione? Aguntur amores Antiphonis et Phaedriae, exponuntur fallaciae servi parasitique; Chremes et Demipho senes falluntur; sed tertia quoque persona fallitur. Nonne Nausistratam a Chreme deceptam videmus? Quid attinet ad solvendum argumenti nodum quod Nausistratae narratur Chremem ex altera uxore filiam suscepisse? Antiphoni atque Phaedriae postquam quae cupiverant contigerunt, quid est cur non finiatur comoedia? Cur Chremes senex turpis invenitur? Unusquisque qui accuratius in Phormionem fabulam inquisiverit, persuasum habebit, haec omnia cum argumento non cohaerere, sed aliquid novi afferre. Et sine dubio senis clades alterius fabulae argumentum esse poterat. Supervacaneae igitur videntur esse scenae inde a scena 4 actus V, nam rem praebent omnino novam.

Itaque mirum non est Franciscum Guyetum actus V, scenas 3. 5. 7. 8. 9 delere voluisse, quia spurrias eas habebat atque subditicias. Dicit enim in adnotationibus ad Phorm. V 5: „Nihil opus est hac scena et sequentibus aliis quattuor, quinta scilicet septima octava et nona,

quae additiciae sunt et spurriae; sufficiebat enim res proposita supra IV 5. 7. Cetera intus sine spectatoris fastidio in aliis fabulis transigi solent et postrema scena uno verbo facta insinuantur, ut infra scena sexta factum reperies. Ineptus homo quispiam reclamante frustra ordine Terentii comico hanc caudam huic comoediae assuit. Haec autem confingendi ansam dedit locus V. 2. 3: „Ita fugias ctt.“ Quamquam Guyetus non intellexit, quid rei esset, tamen observatio ejus maximo nobis est commodo, Benfejo autem non licebat, his verbis illius sententiam abrogare: „Lustig ist, dass Guyet hier die ganze Comoedie schliesst und das Uebrige für untergeschoben erklärt.“ cf. Terentius übersetzt von Benfei, adnotatio ad Phorm. V 7. 43: Optime vidit Guyetus, quae sequuntur, scenas non ita cohaerere cum praecedentibus, ut sine totius fabulae detrimento deleri possint. Quod cum concedam tamen quae sequuntur judico esse non additicia, sed ex mea quidem sententia res haec est. Scenae inde a V 7, cum nova res in iis agatur, omnino non desumptae sunt ex Apollodori Epidicazomeno, quae fabula, ut supra demonstravimus, in eo vertebatur officio, ut Phanio conjux compararetur, quaque in comoedia, ut argumentum redderetur locupletius, Phaedriae quoque ejus quam amabat redimendae dabatur facultas. Amores igitur aguntur utriusque adolescentis. Exstabat autem, ut supra diximus, altera comoedia similis argumenti similisque tituli, Epidicazomene. Hac in comoedia imprimis furtivi Chremis amores agebantur, ejusque exitus talis erat, qualis Phormionis Terentianae est. Non negaverim hac quoque in comoedia puellam quandam agnitam esse, quae tamen res sine dubio minoris erat momenti, primarum autem partium actor Chremis personam sustinuit, qui flagitia sua in Lemno insula commissa uxorem celare studebat, postremo tamen, ut in nostra fabula, infamia aspergebatur.

Liceat verba facere nonnulla de scenis 3. 5. 7, quas ipsas delevit Guyetus. Pecuniam quidem senes Phormioni miserunt, ut Phanium matrimonio sibi jungeret, sed cum illam

retinere velit in domo sua Antipho, fabula non habet laetum exitum. Phanium quidem Chremis filia jam reperta est, sed hoc etiamsi nos scimus, ignorant adolescentes, ergo cogitandum est, eos esse tristissimos. Itaque scenae usque ad act. V 6 non solum ferri possunt sed etiam maximopere opus iis est, ut omnia bene soluta videantur. Etiamsi autem scenae 3. 4. 5 abesse possunt, tamen cum scena 6. comoedia carere non possit, illas non licet abjicere. At vero quanto afficiuntur gaudio spectantes cum videant (V 3) Demiphonem a Nausistrata, ut ipsum in expellenda puella adjuvet, petentem, quippe cum sciant rem jam dudum esse peractam. Quae deinde sequitur scena (V 4) nonne timore, quo angitur Chremes, ne furtivi amores palam fiant, maxime nos delectat? Atque quod scena intra V 3 et V 4 a personis vacua est, optime declaratur timore Chremis, ne filii rem resciscant. Conferas quaeso V 3. 36. Nonne magna arte videtur esse compositum quod his verbis vixdum pronuntiatis alter filius procedit. Nec carere possumus scena ejusdem actus quinta in qua Phormio omnia bene peracta esse dicit, atque discimus Phaedriam nunc Antiphonis partes vicissim suscepisse. Usque ad hanc scenam filii magno angore vexantur, dum Geta procedit, quaeque audivit pronuntiat, quibus expositis Phormionisque consilio in medium posito fabula finiri potest. His autem scenis deletis spectatoribus erat timendum, ne res filiis male succederetur, qua de caussa eas non esse delendas censeo. Scenae autem inde a V 7 extra argumentum sunt neque quidquam valent ad materiam propositam, mutuatus vero eas est Terentius, ut jam diximus, ex Apollodori Epidicazomene. Quam Apollodori fabulam exstitisse, jam demonstravimus. Restat igitur ut doceamus, quid sit, cur hac ex comoedia Phormionis Terentianae scenas inde a V 7 desumptas esse statuamus. Et primum quidem testimonium exstat Donati, cujus verba, quamvis rem non pungant, tamen efficere videntur, Apollodori Epidicazomenes partem posteriorem in eodem versatam esse argumento atque Phormionis. Sed si quis dicat Donatum ut in nomine fabulae Graecae sic in nomine poetae Graeci errasse, ecce graviores afferam caussas, quibus

falso eum esse arbitratum unicuique facillime persuadebitur. Beckerus in libro de comicis Romanorum fabulis p. 46 maximi ingenii poetam fuisse Plautum inde collegit, quod cum variorum auctorum Graecorum libris esset usus, attamen in omnibus ipsius comoediis idem inveniretur color, idem ingenium, eadem jocorum protervitas. Quam ob rem non tam ad Graecorum verba composuisse eum comoedias judicat, quam lineamenta tantum fabularum esse mutuatum. De Terentio autem his utitur verbis (p. 77): „Quattuor Menandri fabulas reliquas nobis fecit Terentius; unam certe Apollodori. Non ubi perlectis illis ad Phormionem veneris, fateberis, eam a ceteris nonnihil differre? Aliam vitam ac disciplinam, diversum poetae ingenium?“ Neque, ut mihi quidem videtur, injuria vir doctissimus haec dicit. Terentius enim arctissime ad Menandri vel Apollodori fabulas sese accomodat, etiamsi non eo usque, ut eorum interpres possit dici, id quod ex contaminatione hic illic facta optime elucet. Nihilominus autem Graecorum vestigia ita pressit, ut, cum quattuor fabulas duce Menandro composuerit, difficile sit, invenire quidquam, quod a toto fabulalarum colore abhorreat. Non dicam de stilo atque oratione, quorum, cum infra paucos tantum annos Terentius docuit fabulas, varietas vixdum potest intellegi, et si quis graviorem varietatem se vidisse prae se fert, nescio an non inciderit in errorem vel tribuerit rebus minoris momenti majorem quam qua dignae sint vim. At vero quantum distant earum comoediarum, quas ad Menandri libros expressit, vita mores habitus ab iis, in quibus Apollodorum est secutus!

Menandri ceterorumque novae comoediae auctorum fabulae, ut ex Plauto intellegere licet, unum eundumque exhibent habitum. Non exstabat fabula, in qua non amores filiorum, senes decepti, milites gloriosi, servi callidissimi, parasiti edacissimi adulantesque, meretrices denique non describerentur, quae adolescentes, ut facerent in ipsas magnos sumptus, impellerent. Fabularum autem exitus semper is est, ut filii amica civis agnoscatur Attica, vel at pecunia, quam in emendam servam impenderunt filii, variis fallaciis senibus eripiatur. Nulla

autem exstat comoedia, in qua filiis non ignoscatur a patribus. Quibus a fabulis quantum differunt Apollodori comoediae! In Hecyra Lachetis filius Pamphilus uxorem contemnit, neque cum ea ab alio, ut persuasum habet, viro jam ante matrimonium contractum vitiata sub uno tecto esse vult. Depingitur ergo, id quod in nulla alia comoedia reperies, filius summa praeditus pudicitia. Pater, qui opinatur suam uxorem auctorem esse, ut filius conjugem suam oderit, illam, quamvis innocentem maxime increpat. Socrus alibi plane non depinguntur, in Hecyra autem fabula socrus est et, quod maxime mirandum, bona socrus. Nusquam praeterea reperies patrem a filii partibus stantem, quare negandum non est vitam describi ab Apollodoro plane aliam atque a ceteris novae comoediae scriptoribus. Quod in Hecyra meretrix bona inducitur, jam scholiastae temporibus memoria visum est dignum, quare adnotavit Donatus ad Hecyr. I, 1. 1: „Animadvertendum est in hac fabula, Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere, ut id exemplis fiat tritius et usu verisimile.“ Eundem poetam Apollodorum in Phormione fontem esse Terentii videmus et in priore comoediae parte, in qua Phormio Phanium Antiphoni nuptum dat, et in posteriore, in qua oculis obversatur Chremes senex turpis inventus atque infamia adspersus.

Plurimis in fabulis adolescentes amant puellas, quae in fine comoediae cives agnoscuntur; exstat etiam comoedia Menandri a Terentio latine facta, in qua adolescens indotatam ducit in matrimonium puellam, sed afferas, quaeso, fabulam, in qua puella non dotata per judicem adolescenti collocatur in matrimonio. Certe ex iis, quae supersunt, nulla comoedia tale habet argumentum, eaeque, quarum reliquiae tulerunt aetatem, quaeque titulo utebantur Epidicazomeni sine dubio in alio versabantur officio, in exponendis modis ac rationibus, quibus adolescentes pauperes vel sycophantae, ut virgines magna hereditate praeditas matrimonio sibi conjungerent, operam dabant. Argumenta quibus Hecyra et Phor-

mio nituntur, ex mea quidem sententia inventa sunt a poeta, qui viam ab aliis tritam relinquere studebat novasque res in comoediam ingerebat.

Sed revertamur ad quaestionem a nobis institutam. Ignoscunt, ut jam diximus, aliorum poetarum in fabulis senes filiis, non autem, ut fit in Phormione, ita se gerunt, ut ipsis ignoscatur sit necesse. Argumentum igitur esse videtur simillimum iis, quibus Apollodorus gaudet, quare dubitandum non est, hanc quoque Phormionis partem mutuatum esse Terentium ab Apollodoro; hocque ipsum erat, quod commentatores, qui Terentii auctorisque Graeci fabulas non ad verba compararent, legentes autem Terentii Phormionem atque recordantes Apollodori Epidicazomenen eodem modo exitum quaerere, poetam Latinum errasse persuasum haberent.

Quibus disputatis jam alias afferam caussas quibus Phormionis scenas inde ab act. V, 7 non esse genuinas sed agglutinatas atque ex altera fabula Graeca receptas demonstrabo.

Iis ex fabulis, quas Terentius ad Apollodori exemplaria conscripsit, cum poetae Graeci fabularum conscribendarum ratio semper eadem fuisse intellegatur, ex illa quae integra a comico Romano Latine facta est sane, quales fuerint ceterae ejusdem Apollodori comoediae, licet conicere. Comoedia autem Romana ex integra Graeca conversa est Hecyra, quae hunc habet finem: Pamphilum, qui conjugem suam spernit, credunt senes Bacchidem meretricem amare, quare eam, ut illum e manibus mittat, adeunt. Quae cum dixerit Pamphilum, ex quo tempore duxerit conjugem, cum ipsa res non egisse, petunt ab ea, ut dicat illa Pamphili uxori. Itaque pergit Bacchis ad eam, ibique annulo quem gerebat meretrix, quemque inter comprimendum virgini detraxerat Pamphilus, hujus uxor virgo agnoscitur ab illo quandam compressa. Quibus rebus per Bacchidem nuntiatis Pamphilus maxime gaudet, sed ne quis, quaenam fuerit res, comperiat, totam rem silentio se praetermissurum esse profitetur. Videsne Phormionem, siquidem Epidicazomenen fabulam solam vertisset Terentius, tali vel simili narratione finiri potuisse. Intellegisne materiam scena actus quinti sexta absolui? Quam scenam,

ut fabula finem capiat vel epilogum quendam habeat, scena ejundem actus septima sequi potest. Epidicazomenos comoedia sine dubio hac scena finiebatur, Terentius autem fabulae exordio Epidicazomenes fabulae finem adjecit, talique modo duas Apollodori comoedias contaminavit. Atque ut in Hecyra spectatoribus committitur credere conjuges Pamphilique parentes in gratiam redituros inter sese sic in Phormione spectatores persuasum habere necesse est Nausistratam ignoturam esse Chremi. Sed si quis his ex verbis colligat me mihi ipsi repugnare, ut qui dixerim eadem ratione Hecyram finiri, animadvertat, quaeso, Phormionem jam V 7 tali modo finiri posse me contendisse. Duplicem igitur arbitror habere exitum Phormionem, quam ob rem scenas inde a V 7 non esse genuinas sed ex altera fabula assumptas credo. Restat unum, quod sententiam nostram de contaminatione in Terentii Phormione facta multo etiam magis sustinet. Cum disseruimus de modo ac ratione quibus poetae comici Romani in nominibus fabulis indendis usi sint, demonstravimus Terentium utpote qui arctissime se ad fontes suos accommodaverit palliatae suae comodiae titulos dedisse Graecos, quin etiam exemplaris Graeci titulum non mutasse una excepta comoedia, Phormione. Nonne miramur hoc loco scriptorem Romanum fontis titulum mutasse? Hariolatur sane Donatus dicens in adnotatione ad Phormionis prologi versum 26: „Debuit ergo dicere: Epidicazomenen Graeci: Latini Phormionem. Nam *φορμίον* tegiculum dicunt Graeci, quo insternitur pavimentum, unde Phormio correpta prima syllaba apud Apollodorum est. Non ergo Phormio a formula, ut quidam putant, dictum est. Ergo inde parasitus, vilissimae conditionis homo, nomen accepit.“ Melius ad rem quadrat Meinekii sententia, qui Athenaeum secutus Phormionem nomen esse censet proprium civis cujusdam Atheniensis, quem, etiamsi jam non licuerit *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν,* Apollodorus in Epidicazomeno ridiculum reddiderit. Sunt autem Athenaei libr. VI p. 244 f. verba haec: *Ἀριστόδημος δ' ἐν δευτέρῳ γελοίων ἀπομνημονευμάτων παρασίτους ἀναγράφει, Ἀντιόχου*

μὲν τοῦ βασιλέως Σώστρατον, Δημητρίου δὲ τοῦ πολιορκητοῦ Εὐαγόραν τὸν κυρτόν, Σελεύκου δὲ Φορμίωνα." Sed utut res se habet, sine dubio Phormioni jam apud Apollodorum personae parasiticae nomen erat, qua ex persona, cum in fabula Latina primas ageret partes, Terentius comoediae suae titulum imposuit. Equidem non ignoro nos non posse afferre caussas, cur Terentius fabulae Graecae, quam maximem partem secutus est, titulum non servaverit, sed mutare maluerit. At vero si conjecturae locus datur, ea de caussa mutavit quod cum fabula, quam conscripsit, neque Epidicazomenos neque Epidicazomene titulus congruit. Ex parasiti igitur persona nomen ei dedit. Quibus ex titulis variatis contaminatam esse fabulam atque ex duabus Graecis consarcinatam colligendum censeo.

Quae disputavimus paucis comprehendamus verbis. Caussas contaminationibus factae varias attulimus ac diversas, quarum hae vel illae, quamvis per se nihil demonstrent, attamen si omnes comprehenduntur, his ex illis lux affertur. Quare nos non falli judico statuentes Terentium, quamquam non dicit se contaminasse, tamen ex altera eaque similis argumenti fabula nonnulla mutuatum esse, ut, si modo conjecturam facere liceat, argumento locupletiore spectantes multo etiam majore afficeret gaudio.

VITA.

Aemilius Rummler natus sum Javoriae Silesiorum d. VII m. Sept anni h. s. XLVII patre Carolo, quem ante hos quattuor annos praematura morte abreptum vehementer doleo. Fidem profiteor evangelicam. Primordiis literarum in schola publica eruditus, quattuordecim annos natus gymnasium Bregense adii quod, uno anno intermisso frequentavi, dum in patria gymnasium instituebatur, cujus per unum annum eram discipulus. Anno MDCCCLXVIII testimonio maturitatis exornatus Vratislaviam me contuli, ubi a Viro Ill. Raebiger tum fasces academicos tenente inter cives universitatis Viadrinae receptus nomen apud amplissimum Philosophorum ordinem dedi. Per novem deinde semestria Vratislaviae Jenae Halis Saxonum studiis philologicis philosophicis historicis deditus interfui scholis VV. Ill. Braniss Hertz Junkmann Neumann Reifferscheid Rossbach Rueckert Zupitza; Bechstein Bursian Delbrueck Fischer Nipperdey, A. Schmidt, M. Schmidt; Duemmler Erdmann Keil Zacher. In numerum

seminarii philologici sodalium relatus per quinque semestria socius atque hospes adfui consessibus, quos VV. Ill. Hertz Reifferscheid Rossbach; Burisan Nipperdey M. Schmidt moderabantur. Quibus Viris Illustrissimis pariter atque omnibus praeceptoribus meis semper piam gratamque memoriam servabo.

THESES.

I.

Aesch. Agam. v. 141 cum Dindorfio legendum esse censeo:

ὕσσων παρ᾽ εὐφρόνων καλὰ Διὸς κόρα.

II.

Luciani Muelleri de synizesi sententia non est comprobanda.


III.

Tibulli versus eleg. I 10, 51—68 a suo loco non removendi sunt.

IV.

Palliatae Romanorum fabulae ad mores corrumpendos plurimum valuerunt.

LIEGNICIAE, TYPIS H. KRUMBHAARI.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 050 364 8